



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Brevis Expositio Propositionum Damnatarum

Didacus <ab Aragonia>

Venetiis, 1728

Restitutio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42653

cum Claustralibus habitantes. 4. Tertiariæ Virginalem, aut cælibem vitam simpliciter voventes, tametsi seorsim, aut in propriis domibus, vel consanguineorum, aut affinium suorum habitent, modo ad habitum per Superiores admittantur de licentia Ordinarii &c. 5. Eremitæ, qui sub speciali obedientia Episcopi, vel alterius Prælati ex voto, vel pacto, alicui Ecclesiæ, Eremitorio, vel loco Sacro in communitate, vel separatim deserviunt. 6. Equites S. Joannis Hierosolymitani, super Casibus 3. 5. & 6. reservatis in dicto Decreto Clementis VII. *Vide duellum, & Simonia.*

R E S T I T U T I O.

518. **Q**uæritur. An qui alium movet, aut inducit ad inferendum damnum grave tertio, teneatur ad restitutionem istius damni illati?

Resp. Affirmativè, juxta Decretum Innoc. XI. damnantis propos. 39. & meritò, quia quicumque damnum alteri infert, obligatur jure naturæ ad damnum compensandum, sed movens, aut inducens alium ad damnificandum Petro, reverà damnum infert Petro, cum sit causa moralis damni, ergo ad restitutionem obligatur, quamvis enim movens, aut inducens aliam ad inferendum damnum, non causet illud physicè, nec necessitet alium ad actionem damnificativam, adhuc tamen damnum imputatur illi, non secus ac inferenti.

519. Quæritur. An qui pravo suo exemplo inducit alios ad turbandum, teneatur ad restitutionem?

Resp. Negativè, ratio est, quia tunc me-

rè occasionaliter damnum causatur, atque adeò cum non violetur justitia, non datur onus restitutionis; neque incurrit irregularitatem, qui suo exemplo inducit aliquem ad patrandum homicidium; secus verò si mandet, aut suadeat illud; qui enim pravis suis moribus inducit alios ad peccandum, non intendit illorum culpas, & licèt aliquando eas velit, non influit tamen positivè in illas.

520. Quæritur. An teneatur ad restitutionem qui accipit pecuniam, ut taceat furtum ab alio patrandum?

Resp. Teneri, ratio est, quia tunc fur securius furatur, undè accipiens sic pecuniam positivè ad furtum concurrit, atque adeo lædit jus alienum; Contra verò, qui accipit pecuniam, ne revelet furtum jam commissum, non tenetur ad restitutionem, quia non cooperatur positivè ad damnum alienum nisi ex officio, aut contractu teneatur illud revelare.

521. Quæritur. An qui precibus, suasionem, petitione, &c. movet, vel inducit Collatorem, ut officium, Beneficium, vel legatum, seu eleemosynam, & similia dona gratuita non conferat petenti, vel cui apud se Collator constituerat, teneatur ad restitutionem?

Resp. Quilibet habet jus, ne malis artibus sibi impediatur asecutio alicujus boni, eo quod habeat jus ad tale bonum conditionatè, hoc est dependenter à voluntate donantis, unde justitia violatur, si dolo, vi, fraudibus, vel mendaciis evertatur libertas illius, qui potest tale bonum conferre; non tamen læditur justitia, sed charitas, si precibus, petitione, vel suasionem impedi-

pedi-

pediatur collatio boni, & ideo in non r
casu non datur onus restitutionis.

522. Quæritur. An qui inducit Judicem, ne imponat mulctam pecuniariam Fisco, aut parti læsæ solvendam, vel inducit Custodes Silvarum, Fluminum, Civitatum &c ne deferant Magistratibus transgressores, atque adeò impediunt, ne mulcta Fisco, aut Dominis solvatur, teneatur ad restitutionem?

Resp. Quamvis peccet, probabiliter tamen ad restitutionem talis mulctæ non teneri; ratio est, quia ad has mulctas non habet Fiscus, aut pars læsa jus ante sententiam Judicis, ergo qui has mulctas impedit, non peccat contra justitiam nec tenetur ad restitutionem, sicut nec Judex, & Custodes tenentur ad illam compensandam; Omnes tamen hi tenentur compensare damnum illatum parti læsæ, relatè ad id, ad quod habet jus independentè à sententia Judicis; v.g. Custodes, qui ex contractu, atque adeo ex Justitia tenentur revelare transgressores, quamvis non teneantur compensare mulctam pecuniariam Fisco post sententiam Judici solvendam, tenentur tamen compensare Fisco id, quod esset à transgressoribus solvendum ratione gabelle, & ideo, qui inducit Custodes ad non revelandum transgressores, tenetur etiam ipse hoc damnum Fisco compensare.

523. Quæritur. An inducens alium ad damnificandum suo Consilio, aut mandato, si revocet mandatum, vel Consilium, adhuc teneatur ad restitutionem?

Resp. Quod si mandatum revocet, non teneatur ad restitutionem, eo quod tunc mandatarius non noceat vi mandati, ut potè

iam revocati; si tamen revocet consilium, & consultus, adhuc vi illius consilii damnificet, consulens ad restitutionem tenetur, sicut, qui propinato alteri veneno, conatur deinde antidotis illud extinguere, & non potest, adhuc irregularitatem contrahit, & onus restitutionis, si mors sequatur; Quod si consultus non vi illius consilii, sed ex propria malitia damnificet, consulens excusabitur; hoc autem contingit, quoties consulens post datum consilium alteri de inferendo alicui damnum, validiores rationes adducit ad retrahendum illum à suo proposito; quæ dicta sunt de consulente operationes iniustas, intelligenda etiam sunt de Confessario, vel Theologo, quem Homo imperitus consulit, an teneatur restituere, & consiliarius respondet: sive ex malitia, sive ex ignorantia culpabili, non teneri, & præcipuè de Regiis Ministris, seu Consiliariis, cum consulunt Regi bellum injustum, aut gabellam iniquam, vel actionem contra immunitatem, vel libertatem Ecclesiasticam, quia reverà movent, & inducunt alium ad inferendum grave damnum tertio, & sic tenentur omnem damnificationem refarcire.

524. Quæritur. An ad restitutionem teneatur, qui movet, aut inducit alium ad inferendum damnum minus, quoties ille determinatus est inferre damnum majus?

Resp. Quod non peccat, nec consequenter tenetur ad restitutionem, si suo consilio intendat tantum illud damnum majus avertere; Consilium enim est potius conditionatum, quam absolutum, quasi dicatur, si vis occidere Petrum, potius vulnus, aut alapam infligas; qui tamen determinatus est occidere Petrum, non potest induci ad

in--

inferendum potius malum minus Paulo, nisi quando Paulus ex charitate tenetur potius illud malum minus subire, ut proinde non sit rationabiliter invitus: v. g. si fur determinatus sit furari à Petro, qui ob tale furtum redigetur ad extremam, vel quasi extremam necessitatem, licitum est consulere illi, ut potius furetur aliquantulum à Paulo divite, qui in tali casu hic non esset rationabiliter invitus; si autem sit in potestate suadentis impedire omninò damnificationem; & ipse suadeat minus damnum, peccat graviter, & ad restitutionem tenetur.

S I M O N I A.

§25. **Q**Uæritur. An citra Simoniam dari possit temporale tanquam motivum ad obtinendum Spirituale, vel possit dari in gratuitam compensationem pro Spirituali, aut è contra; vel possit etiam dari Spirituale propter temporale, tanquam propter motivum principale, ac finale, ita ut pluries æstimetur temporale istud, quam ipsa res spiritualis?

Resp. Perspicuum est, Simoniam committi, quoties datur temporale pro Spirituali, etiamsi non detur tanquam pretium, sed precisè tanquam motivum, si detur animo obligandi alterum ad conferendum Spirituale, aut si detur temporale in gratuitam compensationem pro Spirituali, vel è contra, & a fortiori Simoniam committi, si temporale sit motivum principale ad dandum Spirituale, ita ut pluries æstimetur, quàm ipsa res spiritualis, eo quod in hoc ultimo duplex irreverentia adverius rem